



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei

Murner, Thomas

Lucernae, 1528

VD16 M 7034

Conclvsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29525

COLLATIO LVIII.

bari, etiam de diuina charitate dictum est contra peccatorum culpam & non poenam. Sic & de filio prodigo, nihil contra poenam probat, quum illa ex alijs scripturae locis reperiatur, sed & hoc sententiae commendo & c.

CONCLUSIO.

AD haec rogatum habere uolo dominum meum doctorem Iohannem Oecolampadium, cui deus gratiam contulit praeter ceteris tractandi scripturas, intellectum linguarum, diligentiam easdem legendi, uelique mente reuoluere, tot milia sanctorum martyrum, tot milia proborum sanctorum doctorum omnesque Christo fideles, qui per omnia Christianorum regna, iam ferme annis mille quingentis absque reprehensione uixerunt, beati obierunt. Mente cogitet aeternum & misericordem deum, dominum nostrum Ihesum Christum (cuius hodie misericordiam summe laudauit) sponsam suam & coniugem tot annis in errore non dereliquisse. Recordetur in uerbo dei turbida haec errorum tempora non esse supra antiquam ecclesiam prophetata, sed supra iam appropinquantia tempora nouissima, prout in plerisque locis experimur, & palam cernit. Nam omni procul dubio doctor Iohannes, ubi apud catholicam maneret ecclesiam, per suam dispositionem & scientiam multa bona efficeret. Et personae meae ratione rogo eum iam habitam disputationem non egre ferre, quum ipse non feseiam per scripturas & picturas Lutheranorum, me non temporales honores, sed contemptum consequuturum. Pacatius & quietius inquit mihi obtigisset, minusque periculi immineret, ubi domi lectioni meae operam impendissem & laborem, quam sic equitando uagari. Similiter & propter deum ceteros hic praesentes rogo sacerdotes, ut se doctis & senioribus catholicae ecclesiae obediens praebent, nullaque in sancta fide inuolutiones inducant, quia sanguis animarum per eos seductarum, deus alioqui de ipsorum manibus requireret. Doceamus in unitate fidei mundo, carni, & diabolo reluctari, ut una simul aeternam

CONCLUSIO QVINTA.

nam salutem consequamur. Hoc rogo facias dñe Ihesu Chris-
te, Amen.

D. OECOLAMPADIVS.

Sicut rogat doctor Eckius, ut eius dicendi uehementiam,
& seueritatem ignoscam, ex corde suū ego hoc libenter fa-
cturus, neq; ad meam personam aliter confidat, innocentia
mea deo est cognita. Quia tamen ad hoc petit, ne me segre-
gem a Christiana ecclesia, bene quidem mihi notum est, eam
ex dei uerbo ædificatam, & licet multi homines in errore cir-
cumeant, ob id tamen a Christo non est derelicta, adhuc uer-
itas apud eam est, & quanto singula ecclesiæ membra sunt
Christianiora, tanto plus ueritatem agnoscunt, quod & ego
ei promitto cum adiutorio dei, pro quanto mihi ueritas erit
cognita, illam me non derelicturum. Sed ignoscat queso mi-
hi, quod ex suis uerbis & doctrina quinque conclusionum ad-
hucaliter non inuenio, quam quod in uerbo dei non sint fun-
data. At si se casus offerret, quod non cōfido, siue breui siue
longo post tempore, ex eius doctrina uel certe aliorum clarā
ueritatem inuenirem quam ipse docuisssem, ueritati sum ho-
norem daturus, & medio tempore per charitatem mea a nemi-
ne segregabo, ad quod me deus iuuat, Amen.

D. ECKIVS.

Domine doctor quia adhuc ex propria presumptione cer-
nere non uultis conclusiones meas in sacris literis fun-
datis esse, hoc ego deo commendo. Sed tamen ad
huc rogo humiliare uos uelitis, & catholicæ
Christiane ecclesiæ credere, sicut in scri-
pturarum intellectu, ut supra.

Finis actorum D. Eckij.

Kk ij